

Epistola gratulatoria qua fata doctrinae temperamentorum exponit : et Joanni Andreae Wendt ... applaudit / Michael Alberti.

Contributors

Alberti, Michael, 1682-1757.
Wendt, Johann Andreas.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Litteris Christiani Henckelii, 1712.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/zqg9rj7q>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

EPISTOLA GRATVLATORIA
QVA
FATA DOCTRINAE
TEMPERAMENTO-
RVM

EXPONIT, ET
PERDILECTO AFFINI SUO
DN. JOANNI ANDREAE WENDT
MEDICINAE CANDIDATO DIGNISSIMO
OB
LAVREAM DOCTORALEM
RITE ACQVIRENDAM,

DVM
SPECIMINE INAUGURALI
MVLTATIONEM TEMPE-
RAMENTI,

SOLEMNI DISPVTORIO ACTV VENTILANDAM
SISTIT

ANIMITUS APPLAVDIT
D. MICHAEL ALBERTI,
PROF. PVBL. EXTR.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Litteris CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ. 1712.

THEATRA GRATA-VATCRIA

FATA DOCTRINAE

THEATRA GRATA-VATCRIA

R

THEATRA GRATA-VATCRIA

THEATRA GRATA-VATCRIA

THEATRA GRATA-VATCRIA

THEATRA GRATA-VATCRIA

THEATRA GRATA-VATCRIA

THEATRA GRATA-VATCRIA

THEATRA GRATA-VATCRIA

THEATRA GRATA-VATCRIA

THEATRA GRATA-VATCRIA

THEATRA GRATA-VATCRIA

THEATRA GRATA-VATCRIA

THEATRA GRATA-VATCRIA

THEATRA GRATA-VATCRIA

THEATRA GRATA-VATCRIA

THEATRA GRATA-VATCRIA

THEATRA GRATA-VATCRIA

THEATRA GRATA-VATCRIA



PERDILECTO AFFINI SUO
MEDICINÆ CANDIDATO DIGNISSIMO
D. MICHAEL ALBERTI.

Επιτυχίαν.



Uemadmodum omne in initiis suis imperfectum esse credunt Philosophi, ita illud etiam de scientiis valere, ipsa attenta observatio comprobabat; neque in eo veteres solertiores culpandos esse iudico, quamvis æq; ex lumine sanæ rationis res indies obvias meliori acumine perspicere, firmitus connectere, & per solidiores causas deducere potuissent: vix tamen adeo perfectum esse hominis animum, ut non ex erroribus aliorum recta videre, recta agere, & recte connectere discat, modo non illa labes in posteritate adhuc occurrat, ut prisca commenta non ultro commendat, veteres errores iteratò defendat, maioraque errorum præcipitia indies struat; quamvis ad Ciceronis effatum *ad maiorum sapientiam multi peruenire potuissent, nisi eo iam peruenisse putassent.* Attinent hæc etiam

doctrinam *temperamentorum*, quæ neque in initiis suis sufficienter exculta aut perfecta, sed quod magis dolendum est, passim inter posteros peruersa & distracta est, ut propterea merito, eandem varia opprobria offendant, quasi dubia, incerta, & fallax sit notitia. Placuit propterea *Fata* hujus doctrinæ breuissimè recensere, insuperque securam viam præmonstrare, qua ad veriora & certiora aditus commodus patere possit. Quantum in hac doctrina veteres Philosophi occupati fuerint & quantum profecerint abunde iam liquet, ita ut Philosophiæ *Hebraicæ*, *Græcanicæ*, *Indicæ*, *Barbaricæ* Dictatores & Sectatores, uberrimam illius mentionem faciant, omiſſis illis traditionibus & figmentis, quæ in *Cabala* de Philosophia *Mosaica* proferri solent, quasi quaternarius numerus temperamentorum iam in Paradiso ex quatuor eiusdem fluuiis emanauerit. Constat interim abunde, quomodo antiquissimi Philosophi huic doctrinæ indulserint, non modo per experientiam confirmandæ, sed & per causas commonstrandæ & explicandæ; hinc de *Socrate* ferunt historiæ, quod egregius ille Philosophus accurate ex externo hominum conspectu, affectus animi, seu mores prædicere nouerit, & illos, quos bonæ frugis hominis esse iudicauit, allocutus fuerit: *dignus es, ut Philosophiam discas*. Abunde vero etiam liquet, in quantum defecerint prisca hi Philosophi in explicanda & per causas rationabiles deducenda hac doctrina; unde principes hujus Theoriæ per elementa hanc rem explicare vix ullus est, qui ex historia Philosophica inuenire nequeat: quam sententiam inprimis *Plato*, *Philo Iudæus*, *Tales Milesius*, ipse *Pythagoras* ejusque discipulus *Ocellus Lucanus* nec non *Empedocles* variis locis exposuerunt; qui vero cum in certo numero elementorum hæsitauerint, totum negotium per mirificas confusiones distraxerunt, ita ut *Thales* aquam, *Hippasus* ignem, *Pherecides Syrus* terram, *Oenopydes*

pides Chyus ignem & terram simul pro summo tempera-
 mentorum elemento agnouerint, donec ex *Democritea* &
Epicurea secta infinitates atomorum accesserunt, quæ sin-
 gulæ vero persuasiones nonnisi generalissimum conceptum,
 sed eo ipso indistinctum sensum præbuere. Quam anxios
 vero detinuerint Philosophos tales defectus notitiæ elemen-
 torum, seu materialium illarum essentiarum, ita postero-
 res quidam, defectum hunc agnoscentes & emendantes,
 fundamentum in quatuor cardinalibus qualitatibus stricti-
 us & pressius inquisuerunt, tanto magis circa tempora
 & proxime post, florentis Philosophiæ & sectæ Peripate-
 ticæ, ubi quaternio elementorum inclarescere cœpit, hanc
 seriem qualitatuum elementarium, calidi & frigidi, humidi
 & sicci, imposuerunt etiam doctrinæ temperamentorum.
 Adeo ut prisca etiam medici *Hippocrates* & longe post il-
 lum *Galenus* de temperamento calido, frigido, humido,
 sicco & ex hisce qualitatibus vario modo temperato & mix-
 to, multa professi sint. Liqueat vero etiam, quod ante
Philonem Iudæum, tempore *Hippocratis* hæc qualitatuum
 theoria agnita sit, quæ tamen post hos magis propagata,
 & pro pragmatico dogmate aucta & exposita est, ab hinc
 neglexerunt materias agnoscendas, & circa qualitates hæc
 magis prolixæ fuerunt, ubique vero defecit solida ratio,
 unde & cur unum, temperamentum sit calidum, alterum
 frigidum, aliud humidum, quoddam siccum; propterea-
 que substituit illis temporibus hæc doctrina in crassissima
 simplicitate: Ut ut vero fieri solet si confusa dogmata or-
 dinanda & corrigenda iudicantur, ita hac occasione etiam
 obtigit ut *Aristotelicæ* philosophiæ sectatores, metaphysi-
 cas tenebras illapsi, disceptauerint, an temperamentum sit
 accidens, an qualitas, an substantia, an transitus qualitatuum in
 nouam formam, an noua & quinta qualitas, an occulta & inau-
 dita qualitas, an effectus calidi innati, an humidi radicalis, an

miscela utrorumque? quæ singulæ vero speculationes nihil quidquam hanc antiquam Theoriam emendarunt, sed obscuriorem reddiderunt. Quid quod cum omni tempore Theoria talis multis confusionibus obsepta fuerit, solertiores vero Philosophi & ex illis præcipuè *Socrates* experientiæ in iudicandis hominum moribus inhæserint, ita *Sophistæ* quidam hoc studium, artis magicæ culpabilem æstimarunt, declamarunt & dehonestarunt. Quo ipso Socratis dexteritatem suspectam & invidiosam reddere, sed frustra, laborarunt. Simile quidquam in recentissimis temporibus accidit, famigeratis illis Gallorum ministris *Mazarini* & *Richelieu* dictis, qui cum per missionarios ad exteras aulas in inquirendis & dignoscendis moribus, intentionibus & inclinationibus aduersariorum multum profecerint, ab aliis perperam rei æstumati sunt, quasi ipsis hæc notitia, a Diabolo concessa sit, cuius rei mentionem facit libellus ille *L'espion du grand Seigneur* inscriptus. Nihil vero hæc fata profecerunt, quin ultro hæc doctrina exculta fuerit; sed prout in aliis sectatores Aristotelis varia irrita impouerunt, ita ab illis & imprimis à *Diarcho* emanavit error, ex confusa theoria Temperamentorum, quasi etiam anima hominis esset miscela quatuor elementorum eorundemque quatuor supremarum qualitatum. Fuerunt vero etiam quidam inter veteres in illa persuasione, quasi hæc doctrina temperamentorum non humanis scientiis innitatur, ne dum per studia vel physica vel alia acquiri possit, sed diuinam esse qualitatem in hominibus agnoscendi & dignoscendi temperamenta, hinc eandem *Philippo* Regi Hispanorum cælitus concessam esse, æque ac Galliæ & Angliæ regibus virtus curandi strumas per contactum cælitus dimissa est, crediderunt indeque quidam iudicarunt hanc doctrinam priuatiorem, ut aiunt, personis, neque concessam, neque acquisitu possibilem esse. Diu
vero

vero inter veteres hæsitavit Theoria qualitatum, unde aliqui illorum hæc qualitates per uniuersum corpus & singulas illius partes extenderunt, variisque partibus varia temperamenta physica adscripserunt, ut cor calidi humidi, cerebrum frigidi humidi, hepar calidi humidi, renes frigidi humidi, ossa frigidi sicci temperamenti esse, supponant, quæ numerica temperamentorum differentia in indiuiduis, non nisi numericis implicationibus certiorē ansam præbuit: tanto magis, quum hæc multiplicatio entium præter necessitatem, neque Medicæ neque morali scientiæ ullam lucem affundat, sed potius peruersa sit illa traditio, ut secundum notitiam harum temperierum, in affectibus cor concernentibus calido-humida, in pathematibus cerebri, frigido-humida, in læsionibus ossium frigido-sicca remedia adhibenda veniant, quæ connexio lepidō illo & fallaci canone innititur, quasi simile simili gaudet. Neque defuerunt *Astrologi* veteres in obtrudendis suis speculationibus & suppositionibus circa doctrinam Temperamentorum occupati, dum temperamenta ex constellationibus & effluuiis imo effectibus & influxibus planetarum deriuare contenderunt, cuius rei ex aliis reminiscitur *Frankenberg in gemma magica*. Euiluit vero mox hæc nudis traditionibus nullis vero demonstrationibus prædita opinio, neque umquam multum applausum vel promeruit vel obtinuit. Obtinuit vero per plurima secula famam & assensum Theoria qualitatum circa doctrinam Temperamentorum: unde etiam *Arabes* medici & ex illis præcipue *Auicenna*, non modo passim temperamentorum mentionem fecerunt, sed & in Theoria illorum & elementorum & elementariarum qualitatum frequenter memores reperiuntur. In quantum vero veteres in inueniendis & connectendis rationabilibus causis defecerunt, dum in nimis generalioribus conceptibus hæserunt, qui tamen negotium

gotium hoc minime condigne exhauriunt, sed semper materiam dubitandi, & ultro inquirendi ministrant, in tantum tamen in eo laudem nullo modo superficialiam, merentur quod historiam temperamentorum maiori cum solertia & attentione & obseruauerint & commendauerint, quam multi è recentioribus; quorum varii nudis speculationibus & ut putant curiosis inuentionibus inhærentes ipsam historiam facti negligentius tractant, neque, quod tanto peius, verum rationabilem nexum commonstrant, quomodo secundum diuersitatem temperamenti corporis viui & mixti, animi etiam mores varient; pro qua re expedienda, lepidam illam & facile dixerim anilem, sed reuera fabulosam Hypothesin de spiritibus, crinibus, ut aiunt protrahunt, & miraculose applicant. Hoc etiam peculiare fatum huius Theoriæ est, quod magis in recentioribus temporibus floret, quam antiquioribus, dum doctrina hæc per inertia illa, entia spuria & supposititia confunditur magis quam fundatur: quamuis hoc etiam sit fatum ferè generale, Hypotheses corpus animatum viuum concernens, quod si omnia in causis & rationibus describendis & reddendis deficient, tamen satellites illi pro physica pugnantes Fauni & syluestres spiritus succurrant, & asylum quoddam, nescias quomodo appellant, constituent: cum tamen consultius fuisset vel nihil dixisse & tacuisse, quam talia obtulisse quæ iustis Sarcasmis & illusionibus indigent: sed cum hæc res non illius pretii & dignitatis sit, poenitebit sane in reiiciendis illis fabulis tempus utile perdere. Hoc vero iterum ut peculiare fatum allegandum est, quod inter priscos Medicos *Erasistrates* & *Herophilus* primi ferè fuerint, qui a Theoria Philosophorum de Temperamentis secundum elementa & summas qualitates multam discesserunt & hanc doctrinam, per quatuor summos humores explicarunt cuius rei ex aliis mentionem facit *Galenus*, qui in *Libro de atra bile*

de *Plistonium*, *Praxagoram*, & *Philotimum* nominat, qui in describendis hisce humoribus multum operæ studique ad hanc doctrinam contulerunt, quo accensendus etiam est *Ephesus Ruffus*, qui peculiarem libellum de *Melancholia* conscripsit. Ex quibus in hodierna tempora, dimanavit appellatio Temperamenti sanguinei, choleric, Melancholici & Phlegmatici. Vix vero ullus alius ex veteribus inclaruit præter *Galenum*, qui ex peculiari instituto hoc lemma exposuit, quod *temperiem corporis sequantur mores animi*. Ordo vero tangit ut *Eclecticorum* etiam Philosophorum reminiscamur in hac præsentia materia: sed optandum sane esset, ut hi meliora obtulerint & in hac re meliorem ordinem seruauerint; sed quemadmodum *Eclecticum* studium in eo maxime occupatum deprehenditur, ut optima ex pessimis seligat, ita fieri aliter non potuit, quin ab illo miscellanea obtrudantur, tanto magis quando aliqui *Eclecticorum* certos sibi Dictatores selegunt, ut *Tullius*, *Platonem*, *Plutarchus* & *Horatius Faccius Aristotelem*, unde in hac Theoria temperamentorum modo occurrunt quatuor qualitates, in quo vero hæ deficiunt, illud suppleant quatuor humores, reliquum vero & spiritus & Mechanismus, & fluidum & tubuli, cauernæ, particulæ, elateres, nifus & renifus contribuunt. Sed quanta hæc sit mixtura & stomachum & animum offendens, quilibet veritati studens facile diiudicare poterit. Quantumuis vero laudabile omnino studium & commendandus labor sit, ut in hac doctrina temperamentorum factum ipsum sincere constet, ita non sufficit, in nudo facto subsistere, sed ultro ad veras causas progredi expedit, ut innotescat, cur hæc ita fiant, propterea ex omnibus temporibus illud desiderandum adhuc substitit, ut tandem rationabilis Theoria hanc doctrinam commendet, confirmet & illustret. Destituit, quod quidem etiam non do-

b

len-

lendum est, *Cartesius* hoc negotium, nisi quisquam tractatum de *passionibus animi* ad hoc negotium commendare gestiat, quam parum vero fide dignum in hoc labore præstiterit, dum animam hominis nude passiuam in hisce actionibus declarauit, quæ tamen liberam voluntatem habet aut mala aut bona assumendi aut respuendi, ut propterea non a spiritibus illis fastidiosis impelli, subigi, coerceri, castigari debeat, hoc ipsum inquam res facilioris diiudicationis est. Fecit vero hoc & omnes defectus suppleuit, Historiam seu res facti in iustum ordinem redegit, nexum harum rerum per rationabiles, partim etiam congruas mechanicas causas com-monstrauit *Celeberrimus noster Dn. D. Stahlius*, quam rem ex variis laudati Viri scriptis repetere tempus non permittit, sed quæ proprio studio & accurato nexu in Disputationibus de *Temperamentis*, de *Fundamentis moralitatis personalis in sanguine*, de *sanguinis temperie optima conseruanda & restauranda*, & in *Physiologia* pertractata prostat: ut propterea non nudis materialibus causis, omis-sis rationabilibus pensitationibus proportionum motuum ad humores & partes, nedum nudis mechanicis impulsibus, resistentiis, stimulis, elasticis grauitatibus &c. inhæ-rere debeamus. Quibus singulis vero breuissimam delineationem horum *Factorum* doctrinam temperamentorum prementium sistere lubuit. Qualia vero Fata circa transformationis seu mutationis Temperamenti Theoriam aduertenda sint, necessitas postularet ut breuibus etiam common-strem; sed cum illa etiam ex recensitis fati uniuersalem Theoriam temperamentorum concernentibus profluant, merito huic labori supersedere debeo, tanto magis vero quia illa passim in præsentī Inaugurali Disputatione tacta & explicata sunt. Præbuit itaque dissertatio hæc notatu dignissimam materiam, nimirum Mutationem tempera-
menti,

menti, exhibens, mihi occasionem, ut hoc Thema quanta fieri potuit breuitate deduxerim. Tui causa hæc scripta sunt. *Perdilecte Affinis, Candidate dignissime*, cum post sexennem cursum Academicum exantlatum Honores Doctores affectaueris: debui, uti etiam soleo aliis amicis, publico Epistolio, Tibi congratulari; fecisti quod etiam ante biennium rogavi, cum illo tempore Lauream Doctorem ambire curæ cordique habueris, & in hoc biennio me suadente insuperque concurrente Praxeos exercitio incubuisti, ne ut hospes arduum hunc laborem ingrediaris. Maturus satis iam es ad capeffendos hosce honores, quos quidem prius Tibi conferendos ab Amplissima Facultate Medica submisſe expetere potuiſſes; non tamen poenitebit Te tantæ moræ, cum iam in ipsa praxi quantisper exercitatus sis. Maximum vero debes diuinæ clementiæ, quæ hætenus studiis & laboribus Tuis felicissime adſtitit. Multum debes dexteritati & fidelissimæ manu-ductioni *Excellentissimi Domini Stahlî Patroni nostri Deuenerandi*. Scio te numquam defuturum in reddendis humillimis gratiis diuinæ Clementiæ, & contestanda obseruantia, veneratione & quouis honoris cultu, *Excellentissimo D. D. Stahlî*. Et cum Inclytam, quæ Jenæ est, Universitatem per annum visitaueris, haud ex animo amittes Fauorem *Excellentissimi Crausii Fautoris mei Deuenerandi*, neque Anatomicam Tuam Industriam haud ieiune applicatam, ab *Excellentissimo Sleuogtio* adauctam, ut scio, sepones: scies vero Anatomiam non in secando & dilaniando solum, sed in prudenti discretione & applicatione occupatam esse debere, ne physicis & sterilibus solum laboribus inhærere consentias. Macte esto diuina benedictione. Perge insistere illis viis, quibus aditus patet ad perpetuam felicitatem. Enitere semper omnibus viribus, ut in omnibus studiis & laboribus Tuis diuina benedictione
frua-

fruaris; neque umquam medicum studium humanarum
solum virium opus esse, credas, sed præcipue diuinum au-
xilium assidue exores. Adsihæc clementia diuina futuris
Tuis & studiorum progressibus & frequentioribus practi-
cis exercitiis. Gratulor Tibi de honoribus Doctoralibus
excipiendis: gratulor mihi etiam si omnia votis & deside-
riis meis felicissime respondebunt. Vale. Dab. die XXIX.
Junii. Halæ Magd, A. O. R. M DCC XII.



NOBILISSIMO

DOMINO CANDIDATO

ἑυλαζῶν τὴν πρᾶξιν

PRÆSES

Quid mihi *luforia* illa proponis, non est *jocandi* tempus. *Circumstat mors, fugit vita.* Adversus hæc aliquid me doce; fac, ut mortem non fugiam, aut vitam me non fugiat. Aurea, ut solet, Senecæ verba, quantum non simplicis veritatis, & veræ simplicitatis, animo cordato offerunt & commendant! Certe in propositis maxime seriis, imo necessariis, vti prorsus ignavum & inertem esse, ita temerariè, & quasi data opera negligentem, quid utrumque indicat, quam alienatæ atque alienæ mentis & rationis? Sed major inest vis, Philosophi verbis, & communiter, par Apellis operibus, de quibus non dispar prudens æstimator enunciaſſe perhibetur, quod in illis *plus intelligatur, quam pingatur.* Vides cum *Doctore* sermonem esse Philosopho huic; adversus hæc me doce, inquit. *Monet Doctorem, offert se imò infert atque ingerit, discipulum.* Et sane *seriò; adhuc mortifera mecum sunt,* adversum hæc doceri a eo: doce. *Quid prodest totius regionis silentium, si affectus fremunt,* ait alibi: ita hic, quid prodest quæcunque alia, quin *jocularia & luforia*, discere, iisdemque vacare, discendis; quum tanta, imo summa necessitas, incumbat, adversus quam *doceri atque discere*, omnibus rebus anteponendum sit. Unde alibi non indignius monet, *omnia impedimenta dimitte, & vacabone menti.* Quis autem non agnoscit, non magis justam esse sollicitam hanc cupiditatem necessaria discendi; quam justam subesse *reprehensionem, aliena*, supervacua, imo *luforia, docentis.* Ars Medica, quid aliud esse debet, quam solida talis doctrina, ut *vita non fugiat*; aut ad minimum *sanitas*, utpote sine qua, morali usu, quasi nulla est vita. Hanc qui *discere* volunt, *seriò* certe hoc agere, & omnes eò vires, & omne tempus, impendere: qui *docere* in se suscipiunt, hoc certe agere debent, non ali-

a

nedum

ne dum aliena, prætermiſſis illis, aut perfunctorie tactis, avidis diſcendi animis obtrudere. Quam graviter autem, & quidem in lege, quam ad medicinam diſcendam reſpectantibus præſcribit, Hippocrates præcipit: hoc agere, his rebus inſiſtere; harum vero imperitiam eſſe *malum theſaurum*, & *malum cimelium*, quamvis illam habentibus, & acquiſitam quaſi poſſidentibus. *Mercuraturam* bonarum *artium* Athenas, ſeu Acroateria Athenæa, pulchre nominat Cicero; in his *cimelia* illa, *theſauri* illi comparandi ſunt: non autem *mali*, quos reprobat Hippocrates; ſed *boni*, quos ipſa Lege præcipit, imò exigit. Jam pridem, pro ſcientia quantalibet, certe conſcientia tota, hoc ago, ut utriuſque partis *docentium* artem, atque *diſcentium*, *ſeriam* vigilantiam, ſerium ſtudium, obteſter; *ſerium negotium* geri, & gerendum eſſe, ad animos revocem. Non damno alia; non aſpurnor in totum, aliena: nempe in illis, & pro illis, quibus à ſeveris ſcopis vacat. Illis vero, quibus hic fixus eſt terminus, illa ad quam contendant, meta, quæ totum tempus, omnes vires atque induſtriam, ad ſe vocet, diſſuadeo, ne, quod iterum, prima ſtatim epiſtola, Seneca conqueritur, tota vita, certe academica, & diſcendo apta ætatis periodus, elabatur *aliud agentibus*. Neque hoc ſolum; ſed non tam incidit memoriæ, quam non excidit memoria, reſponſio, quam, practicus jam ab aliquot annis, medicus, inter quæſtiones ſub examine publico, à me formatas, recte retulit, ex animi mei ſententia interroganti: quid mali effectus producant ſtupia philiatrorum, quando alienis adhibentur? *ut neceſſaria*, inquit, *non diſcant*. Recte certè, virilem ætatem adeptus, & experientiam naſtus, vir, dubitabat dicere, ut *non ſatis diſcant*: *non diſcant*, ajebat. Imo non ſine cauſſa ego quoque ſoleo, non tam ſolum de *aliis* loqui; quam de *alienis*; *Alia*, in di-verſum abeunt, *aliena* in adverſum. Prorſus uti Seneca *mortiferis*, *laſoria* opponit. Ita vero profecto eſt; ita inquam comparata ſunt pleraque, imo præcipua, quæ hodie quam maxime, de Medicina, imo ad medicinam, docentur atque diſcuntur, ut non ſolum non adducant ad ſcopum animos, ſed abducant. *Mechanica* ſcientia, in ſuo ordine, à quonam, ejus verè perito, laude ſua atque dignitate defraudabitur? ſed *quid eſt mechanica*? certe qui per ſcientiam *metrum* definiunt, in ſolidum ſunt, quod diſſenti-

enti-

entibus plebeja prorsus protervia adscribunt, *Imperiti*. *Mobilis* scientia est mechanica, non *motus*; *mobilitas* est, quæ in materiæ convenienti dispositione ad *motum* iri, subsistit: non ipse *motus*. Vel exemplo, quod corpus recte ad subeundos *motus dispositum*, non minus est *mechanicum*, quum quiescit, & extra usum jacet; quam cum mouetur, seu motu actuatur, in actum & effectum deducitur. Unde nec effectum edit, nisi *quando* actuatur, *quatenus*, & *qua* *proportione*, actuatur, & *quamdiu* actuatur. Unde non *agit*, sed *agitur*; non *mouet*, neque ipsum sese, neque aliud aliquid amplius: sed *mouetur*, primo ipsum, deinde aliud per ipsum. Quis vero tam rudis est, tam dispositionis, quam usus, *dentatarum* machinarum, ut non sentiat, dum in actum deducitur machina, à primis momentis *inducendi* motus, ad succedentia, non modo *tardius*, sed *impeditius* atque difficilius, procedere negotium; quam ubi semel totam machinam æqualiter *peruasit* motus: & hoc toties, gradu ad minimum sensibili, evenire, quoties ipse motus *tenor*, non intermissus plane, sed tantum remissus, est. Num non autem in oculos incurrit? non prius ad *æqualem* illam motus efficaciam, pervenire universam machinam, donec *ultimæ*, inter plures, rotulæ, neque semel tantum, omnes dentes pervasit motus; & tunc demum, è continuata actione, *contiguitatem* dentium, in exquisitam perpetuam quasi *continuitatem* deduxit, quâ, nihil interrupto fluxu, jugiter facere possit, quod non machinæ, sed suum est, *progredi*. Siquidem, cum *tempus* intrinseca sit affectio motus, ubi ille interrumpitur, ut motus, ita *temporis* aliqua fit jactura, tardiusque, atque difficilius, cursum suum absolvit motus: & continuationi ejus, è *continuitate mediæ*, vel usus, vel defectus, ingruit. Ad pistrinum ducendi sunt tales, ut aliquid è molitorum querimoniis colligant; quando è contiguitate dentium fallente, vitium non tantum continuationis, sed ipsius *gradus* motus, sensibus deprehensum, accusant. Daß ein schlotterich Werck, nicht nur ungleich, sondern selbst schwerer, gehe. Quid vero manifestius, quam quod dispositio mechanica, revera immaneat machinæ; motus aliunde *accedere* debeat; dispositio illa ne quidem sit motus *in potentia*, sed nuda potentia *ad motum*, nempe *adventitium*, qui illam & *incurrere* primum, & *percurrere* debeat. Ubi certe non mihi pudor esse debet

bet, qui dicam esflagitantibus; sed illis, quibus, ut ignota res, dicendum est, talia, quæ ad scholastica scabellum pertinent, imo quod ad illa pertineant: ad *primam philosophiam*, & propemodum primas ejus *lineas*: *actio & passio, potentia & actus, ens potentia, & in potentia*: Nihil esse *absolute passivum*, cum *absolute actio* non possit esse, nisi *passio* sit compar: nihil *secundum idem* posse esse activum & passivum, sed in quantum passivum est, in tantum semper esse *absolute* tale. Falsum autem certe, quin insuper malignum, & præterea è fastu profectum, esse oporteret, si quis contendere susciperet, injuriandi animo, talium rerum ignaros, & tamen illis, & circa illas, perpetuam irrequietam litem ferentes, agitantes, & foventes, ad *primam philosophiam*, aut lites tales ipsas ad *classes scholarum trivialium*, remittendos asseverari; cum perpetuæ sit veritatis; antiquum illud: *Non pudor est non scire; sed hoc, non discere velle*: illud autem pudori esse debeat, de rebus ignotis, cum animi & verborum impotentia perverse contendere, imo altercari, & non posse quiescere. Eodem autem recidit, & profecto eodem respicit, altera, verbis magis, quam verò sensu, disceptatio; *quod Deus nihil creaverit otiosum*; adeoque nihil *pure passivum*. Quis enim, non philosophus, sed rusticus, fuerit, quin intelligat, *otiosi*, non magis consistere in *non agendo*, quam in *non patiando*: & non minus otio *desitui*, quod *agitur*, quam quod *agit*, & contra. Quod recte Germani enunciant, *Ruhe halten, und Ruhe lassen; oder nicht Ruhe halten, und nicht Ruhe erhalten, oder erlangen*. Et, unde ergo expectanda erit extricatio illa tricarum illarum, de activitate, & passivitate, in illâ, vix non absolute fictâ, *ratione*; quàm è distinctionibus, ex angustis *scholarum* classibus reboantibus: *secundum idem, ad idem, & eodem tempore*: & *actio & passio non sunt absolute opposita, sed relata*: & *non magis unum horum non posse esse alterum, quam unum non posse esse sine altero*. Fateor, pudet, sed nimio magis piget, ea esse tempora, illas esse mores, quæ flagitent, has res docere non pueros, sed senes hinc inde. Quid verò, quod tota disceptatio, nuce casta, alga, imo titivillicio vilior existit. Quidquid in quæstione utilitatem promittit, vel levissimam, in eo repositum est, non quid, & unde sit, neque qualis in se ipso, *morus*; nec in quo *subjecto* simpliciter: sed cur sit, cur talis, nempe ad quem usum, & in quem finem. Plus dico; dum ne hoc quidem magnopere, aut certe absolute necessarium

farium esse, aut sane præcipuum instituendæ quæstionis apicem
 absolvere, summo jure meritoque nego. Ille enim est fundus to-
 tius negotii, & quæstionis, quatenus utilis esse potest: an motus
 ille, & actus, qui fit in *vivis animatis* corporibus, præcipue autem
animalibus, sit *utilis*; imo *necessarius*? & quo ordine atque ty-
 po, in fiendo aut facto, usus *fini* recto quadret & respondeat. Quis
 enim nescit verum scopum atque metam, quorsum infidæ & invi-
 dæ tales contradictiones, collineant quidem, sed numquam col-
 limant. Diferte tota schola medica, sed loquacior, junior, etiam
 importunè, constanter declamat, *Febriles* motus universos
præternaturales esse; adeo, ut etiam maxime in sensum incurren-
 tes, de illorum censu, *formaliter* pro ipso morbo, ejusque *sympto-*
matibus, prolixè declarentur, & applicentur magis, quam expli-
 centur. Suboluit aliquid erroris *Campanellæ*, exactius; *Helmontio*
 obscurius; *Sydenhamio* ambiguum, quantum. Postquã verò non in
 disceptationem adductum, sed in medium prolatum & positive
 deductum est, quod periculo *vitalium* partiũ & actionum, quod i-
 ipsi *mixtioni* illarum dissolvendæ, a materia aliqua corruptiva im-
 pendere contingat, non possit *meliore* modo occurri atq; consuli,
 quã *emotione* talis materiæ e corpore; *emotio* hæc autem non possit
 fieri nisi per *promotionem*: & prout emotio, juxta diuersam
 activitatem noxiam materiæ, *acceleranda* venit, ita etiam
promotionem accelerandam venire: & proinde circuitum
 sanguinis, per *pulsus*, augendum esse, ut celerior & auctior ap-
 pulforius & transpulforius reditus ad colatoria, pro *secretione* ad
 excretionem sequi possit: & tantundem augmenta hæc motuum
 continuanda esse, & continuari solere, donec impetratus atque
 perpetratus sit ille *finis*: eoque facto sponte cessare auctiorem il-
 lam commotionem: evicit tandem demonstratio, uti luculentis-
 sima, ita simplicissima, assensum: & adeo quidem exquisitum, ut e
 tranquilliore consideratione natum sit assertum: non modo
 nihil *melius*, sed nihil *aliud*, excogitari posse, quo cor-
 pus, a nocituris atque noxiis, materiis, in illud insinuat, liberari,
 iisque exonerari possit, quam *Febrem*, cum omnibus motibus il-
 lam formantibus; & vulgo directè & in se, pro ipso morbo, quin
 pro toto morbo, habitis atque declarari solitis. Interim ne sit mor-
 talibus quies, aliunde turbantur animi, ut non modo *utilitas*, sed
 plane *veritas* huius rei, ex animis diripiatur. Esse omnino mo-

tus hos omnes, *morbidos*, principio, actu, effectu. *Eventum* solum
esse salutarem, non effectum. Omnia enim illa simpliciter, imme-
diate, directe, a *morbida materia, quatali*, & efficacia eius, veris
vitalibus motibus in heteroclitum ordinem exstimulandis, tru-
dendis, premendis, pellendis, pari, produci, induci, deduci: neque
magis ex *accidenti*, turdum sibi exitum, quam materiam hanc sibi
exitum, & eliminationem, e possessione sua, & toto corporis com-
plexu, parare atque patrare. Putet quis, adhuc rem esse salvam; ha-
berent sibi suas contemplationes, dum in eo condescendant, quod
utiq; motus hi & progressus, sive directe, per modum *effectus*, sive
per indirectum, per modum *eventus*, *utiles* sint, imo *necessarii*: sive u-
ti hi volunt necessitate *materiæ*, sive uti res est, necessitate *finis*. Sed
revera fallitur, idq; partim a priori, e *Theoria*, Praxi non consenta-
nea: partim a posteriori e *praxi*, Theoriæ quidē huic consentanea,
sed effectu cassa atque irrita. Quod enim prius attinet, *Theoria*
hinc nasceretur, praxi *duobus* modis non consentanea: *primo*, quod
hoc intuitu nulli feбри ullum subsidium adhiberi possit; Cum to-
tus eventus salutaris simpliciter a *morbida materia* pendeat: quæ
tanto certius effectū hunc affecutura sit, quanto magis sibi relicta
est, & sibi constat: quandoquidem ab ipsa, tota eius provocatio &
promotio ad exitum & eiectionem sui ipsius pendeat. *Secundo*,
aut, si quoddam inveniatur remedium, mediante quo, hic effectus
materiæ morbida, per totum corpus, & e toto corpore depulso-
rius & expulso-rius, vere promoveri possit, necesse sit, ut hoc
remedium ejusdem indolis sit, cum materia morbida ipsa:
quum non nisi *tale*, *additum tali* reddat illud magis *tales*
& consequenter *materiæ*, quæ in hoc ordine *remedia* es-
sent februm, idoneæ forent, quæ etiam proprio sui usu, intra
corpus assumptæ, *excitarent* febrem. Quorum cum neutrum
ita se habeat, stat nuda imbecillitas opinionis. Alterum autem
quod attinet, redundat inde, non quidem plane novus, sed cer-
te cooritur importunior, erroneus & irritus conatus, in *praxin*
vere salutarem, medicam. Dirigitur totus impetus & ad auxili-
um concursus, simpliciter aduersus *materiam*: certe inutiliore
potius, quam vtili secundum illam Theoriam, instituto & co-
natu: Si enim *materia*, quatenus ita moleste & acriter efficax, &
ipso hoc actu, ad effectum eiectionis sui ruit, quid attinet attri-

tis eius hisce viribus, effectum illum morari? Interim major evenit clades, ex eo, quod constans praxis, omnem illam materiam *correctionem*, peruicacissime neget: & nisi, cum vel sine auxiliis huius opinionis, commensurato exquisito tempore, signa sufficientia coctionis, & commensurata periodo, specimina sufficientis secretionis & excretionis (specie eadem siue cum, siue sine talibus auxiliis) succedant, non magis irrito conatu, quam toto salutari effectui. At vero, adhuc altius hæret atque sedet malum. Cur illud non ad animum reuocatur, cuius tam locuples est occasio & frequentia exemplorum, quod indies, ex irritis non modo, sed peruersis, huius intentionis ausibus, febres actu *pervertantur*; nempe in illas turbas conjiciantur, talibus artificiis, qualibus *per se* numquam se submitunt. Imo, ut elucescat veritas, quod illorum artificiorum hæc sit culpa, manifestum hoc fit ex eo, quod non solum turbæ tales, *sine* illis artificiis, pares inquam, numquam eveniant: sed etiam *sub* illis artificiis frequenter, imo positis paribus circumstantiis, ad minimum in genere, *semper*. Unde affatim liquere potest, quod opiniones tales, non in sua sphaera maneant, ut *opiniones* sint; de quo vel verbo disceptare, ipsi primi nugatorium censeremus: sed cum *praxi* scandalum, & *ægris* damnum obiciat, quis pro re silentio involvenda, ne dum consensu firmanda, declarabit? Certe vero prolixè verbis hic insistere, cum ipsæ res pro se loquantur, nullo modo prurit animus. Unde non nisi paucissimis, monemus, non tam incassum disceptandi avidos, quam inanum disceptationum Gordias tricas, per brevem manum sublaturus, ut motus vitales in corpore humano, proprio principio activo, in quod nullum jus, & cum quo nullum commercium, sit animæ humanæ, qua tali, asserentes, ingenua quæstione eo ducant, sed & in eo, presse atque arcte, teneant & contineant, ut, sed per argumenta, bonæ consequentiæ, edisserant: quæ ergo *nudis animi pathematibus*, (ut veris *entibus rationis, ratiocinantis*, sed præmature concludentis, & *entibus voluntatis*, juxta præmaturam æstimationem ad effectum suum ruentis,) præsentior, certior, atque nimio major, sit efficacia, in vitales motus, pulsum cordis, totum fibrosarum partium, motum ventriculi, appetitum, coctionem, distributionem, appositionem alimenti: imo in vi,

imaginationis ad nævos maternos præfingendos, ad ipsam *primævam* constructionem corporis. Sed caveant inanibus discursibus elabendi libertatem permittant; verum *argumenta* exigant, probanda, & connecte idiatque colligendi vim exquirant. Quæ in re si satisfactum fuerit, non liberum solum, sed justum intelligent, indubium habere, quod hætenus nihil aliud, quam non modo dubium, sed certè irritum est. Quàmobrem autem, quæso, ita in utrumque latus titubatur, & inanis contentionis terra, etiam pessimis exemplis, recipitur? Fero conditionem, exquisitissimis iudicibus æquisimam apparituram. Enodentur, hæc difficultates, & asseratur, ex instituto, quibus utraque hic ita, simul placent, ut alia & alii in solidum displiceant utrorumque, jus atque fas: fiat hoc autem non Syllogismis, si non placet, sed, argumentis solum: veris atque firmis rationibus stabilitis. Puto erit, quod agatur; sed compensabit laborem, & operæ pretium faciet, & animo tranquillitatem, certitudo atque evidentia rei, & subtractio activorum atque passivorum fastidiorum. Quanto vero, ut solent inania, strepitu, sterilissima hæc disceptatio, nullo jure, medica dogmata, adhuc usque diem, percellere, & qualibet aura denuo exagitari, adsuevit; non est tamen illa *sola*, quæ seriæ salutari arti, ejusque tranquillæ atque ordinatæ institutioni, tempus atque locum, intercipiat: sed habet, partim soboles suas, partim complices, quæ transformatarum Pieridum more, Medicis musis, irrequieta interpellatione, negotium faceffant, & leves animos ab harum harmonia avocent. Physica qua talis, Anatomia operosior, Chymia, Phytographia, in suo ordine atque loco disciplinæ sunt, à nemine prudente centemnendæ. Quando vero deserta propria statione, desperato immanente aut emanante usu, medicis castris sese ingerunt, uti bona fide, & sociali fœdere, hoc temerè, & præter numerum auxiliorum imperatum, facere non decet; ita, per antiquam prudentiam, ne quidem jure societatis facere licet, ne turbæ, tumultui, seditioni, propius fiat negotium, quam castris aut ordinibus. Neque hoc umquā, aut horum quidquā facient aut certe non faciunt, disciplinæ laudabiles; nisi consultores mali, domi forisque, in aliena prædia, tamquam colonias mittere, illinc suaderent, hinc excirent atq; invitarent. Qui vero atq; quales, nisi quibus magis è sua re videri potest, turbidas

das esse, quam pacatas & bene ordinatas, res civitatis suæ, publicas, e qualibus, privatis suis cupiditatibus ut satisfiat, ne sperare quidem possunt. Sed absit ut in homines hic aliquid intendere, vel velimus videri, vel possimus; de moribus loquor, & quidem nominatim, pessimo illo, primi quoque lapsus ivasore, frivola curiositate. Quam indigno loco hæc habita sit, ab antiquissimis sinceriorum hominum temporibus, & practicis notum est exemplis, & orat hanc causam satis facunde atque diserte, proprio commentario, propioribus quantisper seculis, Plutarchus. Quæ præ manibus sunt res, quæ, inquam, præcipui nostri scopi, & non tam solum privati, quam publici, usus sunt, necessarii imprimis, illarum, (si quidem huc, in laxo suo atque fluxo sensu laudari amans, vocabulum, adhiberi meretur,) curiosum esse, non male convenit; aliarum, vix nisi male: sed hoc cum primarum neglectu, pessimè. Quis autem credere possit, nisi omnium rerum imperitus, deesse studio atque arti Medicæ, quo hominem, ingenio & industria præditum, assatim occupet; imo etiam satiet: &, dum ad communem reipublicæ usum dimittit, ab otio & desidia liberet. Interim, pro uti sunt indoles, si quis, præ aliis unus, ea mentis excitatæ aut exercitæ promptitudine polleat, ut quæ artis sunt, (quorsum multum confert bona methodus,) facile atque expeditè comprehendat; adeoque possit atque velit, etiam aliarum disciplinarum & scientiarum amœnitatibus, animum veluti recreare; Medica certe ars, & quicumque illam serio & fideliter colunt & sectantur, plenum jus plenamque libertatem minime negaverit. Nec umquam hoc, sed illud unum, est, quod improbatur, si alia illa, in artem ipsam ingerantur; ad artem pertinere, imo requiri, non prima magis ordine, quam tota dignitate, esse, sine his non posse consistere medicam artem, imo nullam esse, non potest nisi gravissimæ indignationi causam præbere, & prodendæ reipublicæ suspicionem commovere. Quid autem, obsecro, factum est, his tot, tantisque, ausibus anlusibus? Num inde agnitum umquam, quale sit corpus, ad medicam considerationem, totum e fundamento, penitissimæ, imo & citissimæ, corruptioni expositum; quid sit huius materialis unici habitus corporis oppositum, Vita, quatenus de corpore prædicatur: an oppositus hic effectus, materiali quadam ratio-

tione, an solum formali, quem vocant, influxu, actionis certæ, absoluat: cui proinde præcipue invigilare, adstiterè, vestigia legere, suppetias ferre, subsidiaria media submittere, sit directum artis officium: an methodus & remedia, magis ad illum materialem habitum, immediate; an vero ad hunc formalem actum; mediate aut immediate, dirigere deceat, imò necesse sit: num ex alteris istis rebus, historia morborum, quatenus ad artem, nempe ejus potestatem, pertinet, locupletata est, illustrata, adjuncta; & non potius turbata, nudis narrationibus passim, nec illis toties sinceræ, quoties sublestæ, fidei? Num verum est, & testantur id experientiæ documenta & suffragia, quod artificii illis, in Pharmaciam introductis, minor fiat funerum frequentia; aut ad minimum, (cum vitæ terminum humanis erroribus permittendum, quam maxime ipse nullatenus censeam,) certius inde debellantur morbi, manifestius edomantur: solidius restituitur atque stabilitur sanitas? Num in mentem venit cuiquam, rem in se notoriam, ad animum revocare, quod, imò quot, homines, & quibus maxime modis, sine ulla externa, nedum tali, arte, & tot tentaminibus, ad temeraria usque experimenta evagantibus, sponte vincant morbos, elidant & expellant materias morbias, & corpus suæ puritati, excussis heterogeneis, redditum obtineant? Inter quot mille, quæso, exercitationes atque disquisitiones, illud Thema, vel decies forte (siquidem toties) enucleatum est, quod peculiari ætatum periodo, proprii morbi impendeant: quoties autem illud tentatum est, ut huius rei aliqua ratio vestigaretur? quid itaque Pathologia, cum historica fideli, atque physica, veritate consentaneum, ex his rebus retulit, quod ad usum & potestatem artis transferre liceat? quotus quisque vero illud hodieque credit, ne dum intelligit, multominus autem adstruit & inculcat, quod nulla consideratio, quæ res extra potestatem artis positas complectitur, medica sit, & arti proficua. Dies me potius destituat, quam desideratorum talium censum peragam. Quid vero si in causam inquiras, quamobrem hæc non discantur? Ego te interrogabo, ubi doceantur; imprimis quæ decet, imò quantâ, industria, ordine, methodo, explicatione, applicatione: quantam sane præ aliis, ut fundamento huic superstruendis, præstolantur. Cur pauci hoc agant, ut hæc doceant, vel ipsos

ipſos interroga qui non faciunt; quid reſponſuros putas? occupatos eſſe; monſtrabunt & oſtendent, pro Theoria, totas cohortes curioſarum animadverſionum: pro praxi, centurias tentaminum, experimentorum, obſervationum: ſed caue, ut vel exquiſitas circumſtantias, vel illud Diogenis exigas, quo votiva naufragorum donaria & elogia deriſit. Cavendum autem certè mihi eſt, ne curioſius hæc commemorare videar, quam utilis; de habitu ad utilitatem, audeo vades dare: de effectu, concedendum eſt Providentiæ. Dicam, Tibi NOBILISSIME CANDIDATE, quid expedire ſentiam, intelligam, expertus ſim; facile mecum facere poteris, ut facias, etiam cohortor. Noli, etiam hoc ultimo intuitu, curioſus eſſe; noli intueri, nedum examinare, quid alii agant, minime omnium autem, acta reprehendere: ne verè quidem, ne dum malignè: vide Tu, ut facias, quæ facienda ſcias, & quibus factis gaudeas. Certo gaudebis; & Deo reddes, quod ipſius eſt: ille eſt, qui vitæ atque ſanitatis ordinem, iis legibus, ea ratione conſtituit, quam veſtigare, venerari, ſectari, juſtum atque æquum ſit: corrigere, & novis inventionibus, tamquam melioribus, ſubſtituendis, aſpernari, præterquam quod irritum ſit, ſtolidum quin impium, agnoſce. Laudatus vero ſit altiſſimus, qui etiam ſub ipſis, imo propemodum ipſis, caſtigationibus ſuis, per peſtis flagrum communi patriæ immiſſum, tandem jubar ſapientiæ ſuæ illuceſcere, clementiſſimè voluit, &, ſalute ſui corporis, initia experimentorum capeſſere, paſſim jam mortalibus paterne conceſſit, quod vivida illa, ab ipſo inſtituta, vitalis Therapiæ methodus, potentior ſit, quibuslibet hominum auſibus & artificiis: imò, pro quo non minus laudandus eſt, quod artificia talia, tandem evidenter erubeſcant, damni potius, quam auxilii, non ſuſpectis testimoniis poſtulata. Unum ſupereſt, quod Tibi partim, partim de Te, dicam. Vixiſti nobiſcum per aliquot annos, artis addiſcendæ gratia. Comparuit, velle audire; audiviſti inter alios artis Antiſtites, me, & poſſum teſtari, aſſiduus & attentus: audiviſti totum doctrinæ curſum peragentem, Tit. DN. D. ALBERTI, Profeſſ. Extr. Celeberr. Quid audiveris, ſpero ſenſiſti, praxeos exercitio ab illo tempore ſuſcepto: ſenties, ſi illis monitis & præceptis porro inſtiteris. Abſit, ut noſtra audiveris; vera audiviſſe con-

confido: si non multa, certe quæ sufficere possunt, dummodo multum audiveris. Divinæ veritatis esse debent, quæcunque usum salutarem pollicentur. Una est veritas; pauca, ex infinitis alienis, vera sunt: hæc sufficiunt. His potire, utere, fructu: sequere agricolam Evangelicum, qui deprehenso in agello thesauro, omnia sua vendidit, illum emit. Dum autem, quod unum necessarium est, ad Deum hæc refers, ab illo munificentissime auferre dabitur. Hoc age; eris tam voto meo, quam ad omne votum, Felix. Vale.

Dabam è Musæo IV. Febr.

MDC.CXIV.

IN *curas* hodie propendent pectore vanas,
Torquentes multi, quæ bona sunt, Medici.
Nam Medica ars fraudum quæ nescia constitit unquam,
Nunc petit in *raris* gloriolam lepidam.
Sunt *Curæ* steriles, animos ad vana trahentes,
Affectant verum, sub lacera specie.
His *Curis* vanis quæ sit Medicina ferenda,
Tu docte monstras; utilis ecce labor!
Augiæ stabulum purgas tentamine pulchro,
Ad votum cedat, nunc precor, hæc opera,
Protegat hanc, voveo clementia Numinis almi,
Ut maneat semper, Nobilis ars Medica.

Hiscæ applaudere voluit Honoribus bene
promeritis Experientissimi, Nobilissimique
Domini Candidati

Michael Alberti, D.
& P. P.

